



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt XXI. Origo, neceßitas & libertas Matrimoniorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

C A P V T. XXI.

Origo, necessitas, & libertas Matrimoniorum.

Postquam absoluta fuit diuina illa tanti operis fabrica (qua, teste M. Tullio Cicerone, etiam Plato, *construi à Deo, atque adificari mundum facit*) velut in domum, optimè instructam, inquilini sunt introducti, Adamus & Eua. Sed quia duo non sufficiebant tanto palatio possidendo, atque replendo, institutus est, statim in Paradiso, matrimonij contractus, à Mundi Conditorè hanc illis legem præscribente: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subiycite eam.* Ad cuius præcepti obligationem & nexum etiam Christus digitum intendit, cum dixit: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Et ex instinctu Dei, aspectâ primùm Euâ ex latere suo ædificatâ, agnouit hanc legem promulgauitq; ipse quoq; primus parens, quando in illa verba effusus est: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: quapropter relinquet homo patrè & matrem, & adherabit uxori suæ.* Est igitur, ob hunc finem, Matrimonium contractus, quo mas & femina sibi mutuum in sua corpora dominium, ad vsum humanæ generationis, tradunt. Vnde & *Matrimonium* vocatur, quòd *matres* faciat, aut facere aptum sit, nisi sterilitas, aut alia causa obsistat.

Quantum, & quos, ex diuino præcepto hic contractus obstringat mortales, quidam haud rectè capiunt. Hinc singulos & vniuersos putant obligari ad matrimonia incunda; neq; existimant, quenquam in cælum iri admissum, nisi velut hospitalem tesseram, vxorem trahat secum appendicem, quæ testetur, eum præcepto illi satisfecisse: *Crescite, & multiplicamini.* Quæ sententia, si omni exceptione caret, excludit cælo, in infantia, aut innocenti pueritiâ, defunctos. Aut, si velit, adultis tantum, atque à natura maturis eam legem latam, quæram ego, quonam iuuentutis anno, homines incipiant, ea lege teneri? quo senectutis solui? Quid si quis, vigesimo vitæ suæ anno, nondum ducta vxore, decedat, an idcirco, ad Plutonis & Proserpinæ nuptias, malè canatum ibit, quia genus humanum.

M m

non.

I.
Cic. lib. de
nat. Deor.

Ita Bonifac.
VIII. c. de vo-
to, & votire-
demt. in 6.
Gen. 1. 28.

Matth. 19. 6.

Conc. Trid.
sess. 24.

Gen. 2. 24.

II.

Gen. 1. 28.

nondum multiplicauit? Quid si nono & decimo? quid si decimo sexto, aut decimo quarto anno, ex hac vita abeat, nuptijs adhuc nullis procuratis? Quid si malitia ætatem præueniat, an decennis debet fieri maritus? aut fraudi illi erit, qui ad annum vsque decimum quartum castus & continens vult Virginitatis suæ florem seruare illibatum? Si adultos omnes ea lex vinctos tenet, eiusque tanquam diuinæ, præuaricatio à beatitudine æterna homines proscrit; dicant mihi isti pronubi, vbi existiment, esse Teclas, vbi Cæcilias, vbi Barbaras, vbi Agnetes, vbi Catharinas? de quibus in Ecclesia futuris, & Christo nupturis David vaticinatus est: *Adducentur regi virginibus; & Paulus adiecit: Despondi vos vni viro virginem castam exhiberi Christo.* immo dicant, vbi esse putent Magdalenam, quæ etsi virgo non fuit, tamen neque coniux fuit? cui dimissa peccata sunt multa, quia dilexit multum, & quam flagrantissima fides saluam fecit? Denique quæro ab istis paranymphis, & tam sedulis matrimoniorum procuratoribus, qui, sine Hymenæo credunt, nemini cæli portam patere, quid viris feminisue senio exesis, & coniuge destitutis erit faciendum? num sua illis viduitas erit damnosa? Immo etiam quæro, an censeant, Ioannem Baptistam, in Inferno esse, quia legem illam connubialem violauit, neque vxorculam duxerit, eum qua coniugus, per solitudinem, in *pilis camelorum* velut iucundè spaciando, vagaretur. Denique quid de ipso Christo dicent, qui *non venit soluere sed adimplere legem*? Atqui vxorem non duxit. Quid igitur? num illam legem soluit: *Crescite, & multiplicamini*? immo non soluit, sed primùm, suo exemplo, postea etiam suo oraculo manifestè ostendit, eam non ad omnes sine vlla exceptione, aut restrictione, pertinere. Nam, quando ipse onera atque occurrentes, in coniugijs, difficultates demonstrauit, atque, ijs auditis Apostoli ad perfectius viuendi genus inflammati dixerunt: *Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere*, responsum illud dedit: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim Eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: & sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus & sunt Eunuchi, qui se ipsos castrauerunt, propter regnum calorum.* *Qui potest capere capiat.*

Pfalt. 10. 14.
2. cor. 11. 2.

Luc. 7. 47.

Matth. 3. 4.
Matth 5. 17.

Matth. 19 10.

piat, Quæro iterum abs te, ô matrimoniorum nimis sollicitè, caussidice, an primi, an secundi, an tertij hi Eunuchi, tanquam legirupæ, ad cælum nullum jus sint habituri? cum tertij vel hanc ob causam se castrant, hoc est voluntaria continentia professione se castificant, ut per angustam portam, sine Creusa, sine illa tua, inquam, appendice, & absque vxorij impedimentis, expeditius admittantur? Siquidem, ut Seruator ait, *propter regnum calorum* sese ipsos castrauerunt: non iam cum coniugatis tricessimum, sed vel cum viduis sexagesimum, vel cum virginibus centesimum fructum relaturi, nouumque illud, in cælo canticum cantaturi, quod nemo poterit dicere, nisi illa *centum quadraginta quatuor millia, qui emi sunt de terra. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocunque ierit.* Tantum ergo abest, ut oppessulet cælum, vxore carere; etiam illud pandit, si quis, in perfectiore gradu, castus esse velit. Nihil dicam de illis, qui perpetuè simul & surdi sunt, & cæci, atque idcirco, quia humanæ, circa personam & obligationem presentem, notitiæ capaces non sunt, matrimonium validè contrahere non possunt, tanquam nullo modo docibiles. Extra ordinem sunt ista, & tamen ostendunt, legem illam, sine limitatione, non esse intelligendam: *Crescite, & multiplicamini.*

Agnoscamus itaque diuinam institutionem, agnoscamus honestum, & à Deo præceptum Matrimoniorum contractum; cui insuper Christus supernaturalem sacramenti rationem adiecit; sed quia *littera occidit, Spiritus autem viuificat*, præceptum illud: *Crescite & multiplicamini*, ex mente Dei, & sobriè esse intelligendum arbitramur: nimirum quantum necesse fuerit, ad humanum genus conseruandum atque augendum, totumque orbem ab hominibus colendum, & incolendum. Qua de causa explicatè subiungitur: *Et replete terram.* Repleta est: nemo sollicitus sit, non deerunt, qui eam porrò repleant; nec deficient geniti, quia non deficient genitores. Hinc nota illa loquendi formula existit, qua dicimus, rem à *generatione in generationem*, hoc est, vsque ad Mundi finem, duraturam; quia & *generationes eò vsque durabunt*, ipso Christo dicente: *Sicut factum*

Matth. 13. 23.
Athanas. in
ep. ad Anniū
Hieronymus
1. contra Io-
uinian. cap 1.
Apoc. 14. 3. 4.

c. 23. de spon-
salib.

III,

2. Cor. 3. 6.

Gen. 1. 28.

Psal. 10. 6.

Prou. 27. 24.

Isa. 34. 10.

Luc. 17. 26.

M. m. 2 Etum

Etum est, in diebus Noë, ita erit & in diebus Filij hominis. Edebant, & bibebant, : uxores ducebant, & dabantur ad nuptias. Cùm itaque ad replendum Mundum, non opus sit, vt singuli collaborent, lex illa non singulis est lata, sed vniuersitati. Vbi proletarij sufficiunt, cur Vestales nubant? Obtento fine, media plura cur exigantur? Quamobrem etiam præceptum hoc sese non extendit, vltra tempus generationis à Deo præfixum. Post nouissimum enim mundi diem, neque nubent, neque nubentur. Interea totum quidem genus humanum, secundùm se, ad nuptias obligatur; attamen non in omni homine certo ac peculiari; esto, in aliquibus etiam determinatè id præcipiatur. Siquidem primi quidem nostri progenitores, & qui illis tempore proximi fuerunt, in illa scilicet tanta hominum paucitate, omnes singillatim ad connubia astringebantur; hac tamen ætate (quæ genus humanum satis fieret numerosum, etsi vel tertia pars hominum virginitatem, tota vita, Deo offerret) per se, atque in se, nullus certus ac determinatus, vi præcepti illius, se in coniugium conijcere cogitur; licet, ex alia subinde causa, nonnulli teneantur matrimonium non repudiare: quando videlicet bonum Reip. spes pacis reducendæ aut firmandæ, religionis incolumitas, promissi fides, vel aliter incompenfabile damnum id ita exigat. Vt autem sine metu essent, qui, ne genus humanum deficiat, nuptias tam anxie vrgent, præfatus est dudum, etiã apud alium Euangelistam, illa Christus: *Sicut in diebus Noë, ita erit & aduentus Filij hominis. Sicut enim erant in diebus, ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vsque ad eum diem, quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus Filij hominis.* Non deerunt ergo nuptiatores; etiam quando illis amplius opus non erit; immò neque tum, quando ex certissimis indicijs clarum fiet, finem mundi instare, & extremum iudiciũ propediem adfuturum. Quo tempore, neque tota amplius humani generis communitas ad nuptias obstricta erit. Ad quid enim prolem concipient matres nunquam pariturae? Quod aspexit Dominus, cùm diceret: *Va pregnantibus, & nutrientibus, in illis diebus.* Nec enim parient parturientes, sed multas prægnantes fatalis ille dies deprehendet. Quæ

Math. 22. 30.

Math. 24. 37.

Luc. 21. 23.

Quæ eam placuit ob causam disputare, quia haud exiguus est numerus heterodoxorum, non solum veterum, ut sunt Gnostici, Aëriani, Meffaliani, Iouianistæ, Vigilantiani, Beuardi, Waldenses, &c. sed etiam recentiores, qui è Caluini Lutherique schola prodierunt: & magnis vocibus declamant, tam latè præceptum matrimonij ineundi patere, ut coniugium omnibus imperatum necessariumque esse doceant; immò ut non solum possint, sed etiam in conscientia arctissimè obstringantur omnes Canonici, omnes Clerici, omnes Moniales, omnes Monachi, omnes Religiosi ad statum coniugij amplectendum; quocunque perpetuæ continentia voto se ligarint. *Verum profecto est, ait Lutherus, eum lenonem esse oportere, qui matrimonium fugiat: & qui aliter eueniret?* ait. Quo dogmate non solum magnam inferunt cladem voto castitatis, sed etiam nimis grauem iniiciunt nuptiarum adornandarum necessitatem. Extat, apud Gratianum canon Concilij Toletani, III. aduersus eos, qui virgines à proposito continentia impedire, eisque maritos obtrudere nitentur. Eo canone cauetur, ne quæ virgo, extra suam voluntatem, cogatur nubere, statumque relinquere perfectiorem. Siquidem Apostolus virginem cum coniugata comparans ait: *Et mulier inuupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore & spiritu.* Ex mente igitur Pauli, virgo placet Deo, aliquo modo, quo non placet coniugata; & sancta est virgo, aliquo modo, quo coniugata non est sancta. Siquidem qui, aut quæ nuptijs implicantur, cogitant quæ mundi sunt, quo modo placeant vxori, aut marito: eaque propter, non possunt Deo placere, eo gradu perfectionis, quo placere potest virgo. *Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit.* Dicit aliquis, ait S. Hieronymus: *Et audes nuptijs detrachere, quæ à Deo benedicta sunt? Non est detrachere nuptijs, cum illis virginitas antefertur. Nemo malum bono comparat.* Bonum est coniugium: melior virginitas. Qui melius eligit, bonum non contemnit. Non contemnit, in Sicilia matrimonium S. Nympha Panormitana, quando virginitatem connubio prætulit, atque ob id sertum lilijs rosisque contextum, ab Angelo, accepit.

M m 3

Neque

IV.

Caluin. in Harmon. Matth. 19. 10. seq. Luther. tom. 5. in ser. de matrim. quem Anno 1522. de matrim. habuit. Canon. Hoc sancti 32. q. 2.

1. Cor. 7. 34.

1. Cor. 7. 38.

S. Hieronym. epist. ad Eusebium.

Baron. in Martyrol. 10. Nouemb.

- Crom. lib. 29. rer. Polonic. Neq; spreuit coniugia Casimirus, quando etiam medicis vix periculum denunciauitibus, maluit vitæ, quam virginitate aleam subire. Malè vtique non facit, qui meliùs facit: & penderet Christus sponsis omnibus antefertur. Est enim *speciosa forma, præ filijs hominum*. Non igitur obligata est virgo, vt nuba. Neque vidua. Nam inibi subiungit Apostolus. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit; quòd si dormierit eius, liberata est: cui vult, nubat: tantum in Domino*. Beatior nuptem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium: *puto autem quòd & ego spiritum Dei habeam*. Quin & voto se obligare potest viduam, ad non nubendum, ex eodem D. Paulo, clarum est, qui, ex omnium interpretum consensu, de voto continentie loquitur, quando scribit, viduas quasdam, si nubant, *habere damnationem, quia primam (voti) fidem irritam fecerunt*. Nunquam profectò ibidem Timotheo præcepisset, *viduas honora, quia vidua sunt*, si illæ, contra præceptum: *Crescite, & multiplicamini*, extra matrimonij statum, permansissent.
- V. Barbaræ mulieres fuerunt, & Thraciâ suâ dignæ, quæ persecutæ sunt coniugia vitantem
- Orpheus, percussis sociantem carmina neruis.
E quibus vna, leues, iactato crine, per auras,
En ait, en hic est nostri contemtor, & hastam
Vatis Apollinei vocalia misit in ora.
- Quod si in Orpheo aliquid vitij latuit, Phædras cogitemus, ad Putipharis vxorem; quarum illa Hippolytum, hæc Iosephum de castitate, per atrocissimam calumniam, afflixit. Ad hæc mulierum insaniam accedunt, quicunq; statum virginitatis non thyrsò, saltem conuitio & lingua persequuntur, & Theronino dente lacerant; quem etiam nonnulli neque ab ipsa Dea Matre abstinerunt; quæ vel idcirco dicitur *Mater admirabilis*, quia & coniux, & Virgo, & Mater fuit: adeò & ipsum potest cum virginitate matrimonium consistere; ad quod requiritur, & sufficit petendi reddendiq; coniugalis debiti radicalis obligatio. Quod castissimi coniugij genus postea imitati sunt, S. Cecilia & Valerianus; Henricus II. & Kunigunda, apud Baronium; Eduardus III. rex Angliæ, & Edita, teste Baronio, item Marcianus

Psal. 44. 3.

1. Timoth. 5. 11.

Gen. 1. 28.

V.

Ouid. lib. 11. Metam.

Gen 39. 13.

Can. Beata
Maria. 27. q.
2. Præp. q. 3.
du. 2. Con.
d. 24. n. 33.
Baron. Anno
1204.

Marcianus Imperator ac Pulcheria, vt refert Cedrenus. Nec non Alfonso II. rex Gallie & Berta Caroli Magni soror, vt itidem Baronius testatur. Quin & Boleslaus rex Poloniae, cum Kinge filia Belae regis Hungariae, Cromero teste; Elzearius comes Arianus cum Delphina, apud Surium. Metaphrastes & illud integerrimae, in coniugio, virginitatis exemplum, de Iuliano & Basilissa refert. Hi purissimi duo coniuges, postquam nuptialis dies transijt, prima nocte, vnanimi voluntate, constituerunt, se illibatum castitatis florem Numini consecratos. Consecrarunt; & ecce consilium diuinitus approbatum est illico. Nam, per totum cubiculum, suauissima quaedam odorum fragrantia coepit spirare; non secus, ac si in Elyso quodam campo exitissent. Neque naribus tantum sua data est voluptas; sed oculi quoque sunt mirabiliter recreati. Lux enim clarissima velut orientis aurorae, in eodem loco, amoenissimè refulsit. In luce pulcherrimi duo Diuorum chori, hinc atq; inde stantes, apparuerunt, quorum hic iuuenum erat, ille puellarum. Alteri Christus, alteri Mater Christi praesse videbatur. Vt igitur & auribus deliciae fierent, iuuenum chorus, Angelica symphonia, in hunc modum, accinuit: *Vicisti Iuliane, vicisti.* Cui, è diuersa parte, virginum chorus ita respondit: *Benedicta Basilissa, qua sanctis monitis aures prabens & animum, vanas mundi desepxit illecebras, & aeterna vita caelestis laurea dignam se reddidit.* Hæc dum suauissimus concentus applauderet; è media caelorum caterua, duo viri processerant. Hi togis, mirifico splendentibus candore amicti, inter vtrumq; coniugem constitere, castasq; nuptias, & sanctum coniugiū, sacro caelestis amoris vinculo, stipulataq; manu, innouarunt. Mox alius quispiam, maiestate vultus, & cana baba venerabilis librum exhibuit, in quo aperto, hæc aureis litteris exarata legebantur: *Quicumque, obsequij diuini causa, mundi insanis voluptatibus nuncium remittet, vt fecisti, Iuliane, in album eorum, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, referetur. Basilissa verò, pro eo, quod illibatam corporis sui innocentiam seruare intendit, Virginum numero apponetur, cuius principem locum tenet Maria Mater IESU.* Et cur id non fiat? *liquidem incorruptio facit esse proximum Deo.*

Baron. 1066.
Cedren.
comp. hist.
Baron. Anno
783. Cromer.
l. 9. & 10.
Sur. 27. Sept.
Metaphrast.
9. Iulij.

Confici-

Sap. 6. 20.

VI.

Conficitur itaque, multos legibus connubialibus solari esse, immo quosdam, spontaneo vel voto, vel officio atque ordine, ad cælibatum obligari, vt sunt nonnulli Ecclesiæ ministri atque sacerdotes, & alij ad perfectionem aspirantes, ex exemplorum Apostolorum, qui perpetuam continentiam, & seruauerunt, & alij, vt seruent, suauis leguntur. Cuius Pauli hortatio est: *Volo vos omnes esse, sicut me ipsum*: itemque *Dico autem non nuptis & viduis: Bonum est illis, si sic permanerent sicut & ego*, in statu scilicet continentie. Neque præmium talibus dæesse constat è Christi responso. Nam cum Petrus dixisset

Matth. 19. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Iesus dixit illis: *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in hac generatione; cum sederit Filius hominis, in sede maiestatis sue, sedebitis & vos, super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut VXOREM, aut filios, aut agnatos, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Quis hinc non videat, Apostolos, cum reliquerint omnia, etiam uxores, si qui habuerunt, reliquisse, & ob eam causam, tantis promissis à Domino fuisse exhilaratos? Hos imitati sunt postea etiam Apostolorum successores, ad continentiam lege Ecclesiastica astricti; per quam, post ordines sacros libera voluntate susceptos, non erat illis fas uxorem ducere, quòd si ante eos ordines, uxorem iam duxissent, ijs que postea primùm fuissent initiati, non licuit illis vti vxoribus, sed perpetuam continentiam seruare debuerunt. *Omni bus placet, ut Concilium Carthaginense, vt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitia custodes, etiam ab vxoribus se abstineant: vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Et quidem hæc lex in Ecclesiâ occidentali viguit: in orientali quoque Græci, post susceptos ordines, non soliti sunt uxores ducere: qui quanquam uxorem iam possint & initiari, & simul uxores retinere, nec teneantur ab earum consortio abstinere, tamen tempore vicis suæ, ad ea non accedunt. Quod & in veteri Testamento, diuino iure factum legimus; in quo sacerdotes ad continentiam, non quidem perpetuam

Conc. Carthag. can. 2.
Vide & Concilij Elibertini can. 33.
Agathense can. 9.
Vasquez. 3. p. disp. 248. c. 2.

perpetuam, sed ijs diebus, quibus in templo, vel tabernaculo ministrabant, obligabantur.

Frustra ergo inuehitur in veteres PP. Calvinus, quod continentiam conjugalem permiserint, cælibatum perpetuum approbarent, & virginitatem ac viduitatem coniugio prætulerint. Maleuolè S. Chryostomum accusat *virginitatis nimium commendatæ, ac magnificatæ*. Arroganter scribit Hieronymus, quod coniugio virginitatem anteposuerit, *nimis luculentum maligni peruersiq; ingenij specimen edidisse*. Sed quid mirum, si SS. PP. inuadit, qui ne Apostolos quidem à censure sua eximit, quos, inter alia vitia, quæ illis obijcit, *impia ingratitude* arguit, quod Christo de matrimonij oneribus peroranti responderint: *si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere*. Contendit enim, Christi mentem esse penitus contrariam, dissuadere scilicet, non suadere cælibatum, quem virtutem putare, censet esse *stultam imaginationem*. Cùm tamen Christus discipulorum suorum responsum non solum non improbet, sed & disertis verbis laudet, quando subiungit: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*. Ac si dicat, non omnes capere, seu intelligere, vel gustare, cælibatum coniugij statu esse nobiliorem Deoque acceptiorem, ac proinde, abstinentiam à matrimonio, esse quoddam excellens Dei donum, communiq; hominum statu, iudicio, & desiderio superius. Quocirca, paulo post eandem laudem iterans & adaugens addit: *Et sunt Eunuchi, qui se ipsos castrauerunt, propter regnum calorum. Qui potest capere, capiat*. Quia, vt S. Paulus ait, *Beatior erit, si sic perman-*

VII.
Caluin, in 1.
Cor. 7. 5. seqq.
lib. 4. Instit.
c. 12. §. 28. &
cit. loc. Harm.

Matth. 19. 10.

1. Cor. 7. 40.

VIII.

His omnibus ostenditur, matrimonia tametsi à Deo introducta, sancta, & ad genus humanum longè lateq; propagandum necessaria, haud tamen ita singulis necessaria esse, vt in ea sese, vel inuiti conijcere teneantur: quæ cùm libera esse oporteat, & sæpe graues secum trahant difficultates, à quibus nonnulli vehementer abhorrent, possunt iniri, vel declinari. Miserrimi essent mortales, si omnes ad nuptias cogerentur. Et fuit, qui cùm duceretur, suspendi mallet, quàm mulieri in matrimonium tradi, quæ eum à magistratu petebat. Vidit enim illam

N n

acuto

acuto naso, & viperinis dentibus biliosam. Multi in omnibus timent, quod iste in vna metuebat; atque idcirco ab omnibus refugiunt, ne in malum incidant, quod formidant. Debitur igitur hæc libertas relinqui; ne, qui in malam vxorem incidit, coniugiorum necessitatem accuset; sed sibi ascribat, quod eligit. Enimverò adeò multa coniuncta sunt cum matrimonio incommoda, ut necesse sit, vnde ea orientur, declarare; ne quodquam in sanctissimæ coniugalis legis Constitutorem culpam re fundat.

IX.

Ioan. 8. 44.
Isa. 19. 14.
Luther. t. 5.
in ferm. de
matrim.

Quòd antè, quàm facere incipio, non omittam apponere, quæ Calvinus ipse sibi contraria, super hoc argumento confudit, uti & Lutherus, ne nesciat Lector, hæresin, quæ in veritate non stetit, spiritu vertiginis agitari. Lutheri sunt ista: *Coniuentia, in terris quidem melior est, ut cui minus sollicitudinis, & calamitatis insit, nec sui ipsius causa, verum ut melius ad verbi Dei annunciationem, tum curam acrius animum intendat.* ut 1. Cor. Paulus refert. *Dei verbum eiusq; ministerium, Celibatuum matrimonio anteposunt; qua ratione Christus & Paulus in eodem claruerunt.* Quibus præmisit: *Nec ideo calibatuum & virginitatem reprehendere mihi animus est; nec inde quenquam ad conjugale vinculum invitare.* Quod quomodo cum illis cohæret, quæ in eodem sermone, prope initium, dixit, his verbis? *Ut non est in meis viribus situm, ut vir non sim, tam non est mei iuris, ut absque muliere sim. Rursum, ut in tua manu non est, ut femina non sis, sic nec in te est, ut absque viro degas.* Nec enim libera est electio, aut consilium, sed res natura necessaria, ut marem femine, feminam mari sociari oporteat. Verbum enim hoc, quod Deus ait: *Crescite & multiplicamini,* non est præceptum, sed plusquam præceptum, diuinum potius opus, quod non est nostrarum virium, vel ut impediatur, vel ut omitatur: sed tam est necessarium, quàm ut masculus sim, magisq; necessarium, quàm edere, bibere, purgare, mucum emungere, somno & excubijs intentum esse. *Instita est natura & indoles, aequè atq; membra, quæ eò pertinent.* Quare ut nemini Deus in mandatu datur, ut sit mas, aut femina; sic nec ut sese multiplicent, præcipit; sed homines ita condit, ut mas aut femina sine, utq; generationi studeant. *Quod si quisquam prohibere malitur, egregiè, ut est, perdat.* *suorum*

meatum scortatione, adulterio, καὶ διὰ ἀφώνων τῶν παρρησιαμάτων
 quaritat. Est enim hic natura necessitas, non arbitrii libertas. Quis
 huic Proteo credat, vultus ad eò mutanti, & eodem ore dicentis
 marem femina, feminans mari sociari, tam est necessarium, quam
 ut masculus sim, &c. & : Nec ideò calibatum & virginitatem re-
 probare mihi animus est, nec inde quemquam ad coniugale vinculum
 inuitare?

Quòd si eandem quis, in Caluino, inconstantiam velit vi-
 dere, hæc verba illius, apud se, consideret. Quia multis molestiis
 implicitum est coniugium, ait : semper conatus est Satan odio & infam-
 ia grauari, ut homines ab eo subduceret. Et paulò post : Sed vi-
 dendum est, quomodo hanc stultitiam refellat Dominus. Omnes hu-
 ius dicti capaces esse negans, significat electionem non esse positam in
 manu nostra, ac si de re nobis subiecta esset consultatio. Si quis utile
 sibi putat uxore carere, atque ita nullo examine habito calibatus le-
 gem sibi edicit, longè fallitur. Deus enim, qui pronunciauit bonum
 esse, ut viro adiutrix sit mulier, contemti sui ordinis pœnam exiget,
 quia nimis sibi arrogant mortales, dum se à caelesti vocatione eximere
 tentant. His è diametro repugnant, quæ idem alibi, in hunc
 modum scribit. Sensus est (S. Pauli) Ego expedire arbitror, propter
 necessitatem, qua sancti, in hac vita, urgentur semper, ut libertate
 ac commoditate Calibatus fruantur omnes : quoniam hoc illis con-
 duceret. Et in vers. 28. eiusdem capituli ait : In suis hortationibus
 in calibatum inclinatur S. Paulus. Dicit multas molestias coniugio an-
 nexas esse, ideò se cupere omnes à coniugio esse liberos, qui immunes à
 molestiis esse velint. Et in vers. 32. Non sine causa, toties ad præ-
 dicanda commoda calibatus reuoluitur : videbat enim, quàm non le-
 uia sint matrimonij onera. Is qui eximere se potest, non debet tale
 bonum negligere. Et rursus : En vacuitas sollicitudinum, quam
 Christianis optat, ut suas omnes cogitationes, suaq; studia Domino ad-
 dicant. Hanc in calibatu esse dicit : ideò cupit omnes hac libertate
 frui. Et paulò infra : Hic est Pauli sensus, liberum esse calibem :
 neque impediri, quò minus, quæ Dei sunt, cogitet. Hac libertate
 pij utuntur : alij omnia in exitium suum vertunt. Et in vers. 38.
 Summa totius disputationis huc redit, meliorem esse calibatum con-
 iugio, quia in illo maior sit libertas, ut expeditius seruiant homines
 Deo.

X.
 Calu. Harm.
 in Matth. 19.
 11,

Caluin. int;
 Cor. 7. 25.

- XI. Ita qui ab Ecclesia, *columna & firmamento veritatis* recesserunt, *in circuitu ambulant*, & vertigine aguntur; vt ipsi se ipsos refutent, & eodem ore recantent, quod cecinerunt: immò opere ipso verba sua retractent. Nam is, qui dixit, esse *peruersam superstitionem, appetere calibatam; que radix & causa fuit ingentium malorum;* is, inquam, ipse Calvinus (teste Beza, in vita eius) annos tantum nouem in coniugio; annos verò se. decim, in viduitate peregit. An non aliter vixit, quam dixit? An non hoc *Deum tentare fuit, contra inditam ab eo naturam?* vt ipse alibi docuit. Cur vxorem non duxit secundam, si caelebs esse non potuit? aut, si potuit, cur calibatam reprehendit? Sed demus, illum, molestias coniugij vitasse, voluptates alibi quæsiuisse, vt lilia mereretur candentibus litteris dorso inscribenda. Nos dicamus, & credamus, matrimonium posse declinari, & vt incommoda eius declinentur, & vt Deo, è S. Pauli doctrina, tantò purius integriusque seruiatur. Quod vel ipse Calvinus fateri coactus, illud *Qui cum vxore est, sollicitus est, que sunt mundi, quo modo placeat vxori, & diuisus est,* sic intelligendum scripsit: *diuisum esse hominem coniugatum, quia partim Deo, partim coniugi se addicat, non sit autem vnus Dei in solidum.* Hæc igitur aliàsque complures, in matrimonio, causas, penitus inspicere vtile est; simulque Dei, mala coniugum suauiter temperantis, vel iustissimis iudicijs prouidè permittentis æquitate perpendere necessarium; vt & cauti sint, qui de vxore ducenda cogitant; & patientes, qui vxorem malis alitibus duxerunt.

CAPVT XXII.

Bono coniugali statui varia mala annexa, que vel imprudentium querelis, vel stultorum erroribus, vel castis sapientium consilijs causam solent præbere.

I.

Rater agros, & vineas, & prata, & iumenta, ceteraque Mundi & Fortunę bona, & pecuniarum thesauros ac opes, quæ extra hominem sunt, est itidem aliquid æternum, mutuum ab amicis, & maximè à coniugibus auxilium. Quamuis hoc sit vtrique alijs Fortunæ bonis longè coniunctius; cum sint *duo in carne vna*. Hoc in matrimonijs, auxilium nonnulli